Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3076337x

17

PROGYMNASMATIS MEDICI
PARS PRIMA,

Hiſtoriæ Galeni ex libr. 10. meth. med. cap. 3.

De

FEBRE ARDENTE

Analyſin exhibens,

Quam,

Numinis auxilio,

ſub Præſidio

JOH. CONRADI BROTBEQUII,
Phil. ac Med. Doct. & Prof.
h. t. Decani.

Publicæ ventilationi ſubmittit

GEORGIUS BARDILI,
Eſslingenſis.

Ad diem Decembr.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN - HENRICI REISI,
ANNO M DC LXIV.

PRÆLOQUIUM AD LECTOREM PHILIATRUM.

P*Urum logicum, purum eſſe aſinum*, haud aſininum eſt dictum. *Idem de Medico* quoque, nuda ſemper præcepta docente haud ineptè dixeris, qui, *niſi* illis ad praxin applicatis, *ex Medicina docente faciat utentem*, ſterilem utique illam ac ventoſam relinquet. At verò, dices, quam arduum hoc eſt, ecquis enim, quæſo, ex ſatis etiam intellectis digladiandi præceptis, arma mox tractare, nedum adverſario opponere auſit? *Quid ergò* hic conſilii? *Præludio opus eſt*, neque unius laboris, verum in gradus diſtincto, quorum ope haud inconſultum fore videtur: 1. *Præcepta* jam memoriæ tradita, ſatisque intellecta *applicare*, nimirum per hiſtoriarum, conſiliorum, curationumque medicarum haud infrequentem ac attentam lectionem illuſtrare, confirmare & ad futurum uſum transmutare. 2. *In* artificioſa caſuum atque exemplorum *analyſi ſeſe exercere*. 3. *Exercitium ſyntheticum* crebrius ſubeundo, propoſiti cujusdam caſus integram cum theoria curationem, per modum conſilii alicujus, contexere, Medicique cujuspiam periti cenſuræ ſubmittere. 4. Ad *progymnaſma practicum*, ſub ducis alicujus moderamine, ſeſe accingere, atque ſic vel tandem in liberum praxeos campum, proprio Marte & arte prorumpere. Ita ſiquidem conſtabit tritiſſimum illud Senecæ: *plus exempla docere, quàm præcepta*. Adeoque hæc talis, vel ſi qua alia commodior dabitur, exercitandi via ſanè quam utiliſſima erit, propterea, antiquæ modernæque ætatis Me-

 dici

dici & deprædicarunt & inculcarunt haud pauci, utpote: *Hippocrates*, a *Galenus*, b *Sennertus*, c *Zacutus Luſitanus*, d *Nic. Tulpius*, e *Thom. Bartholinus*, f *Jo. Jonſtonus*, g *Alb. Kyperus*, h *J. A. Lindenus*, i *Jacobus Roſales* k & alii. Neque deſunt inſuper, qui in ipſo applicandi modo & artificio, ſtrenuam, glorioſam, perque utilem navarunt operam, graphicè quidem nonnulli exprimendo, quos inter valdè concinnus eſt *l. Alb. Kyperus*. Re apſe autem exhibendo, *N. A. Frambeſarius*, m *Zacutus Luſitanus*, n *Greg. Horſtius*, o *J. A. Lindenus*, p *&c.* Verùm hi omnes pro veteranis, provectioribus, ac triariis potius vadum hoc tentarunt. Meum nunc erit pro tyronibus ac velitibus quoque, ne inopes relinquantur, aliquid præludere. Quò me impulere, præter jam præfata, tum ipſe propoſitus nuper in Academia hac ſtudiorum ordo; tum juventutem ædificandi lubido. Id verò operæ daturus ſum, ut quæ de mox ſecutura Galeni hiſtoria publicè prælegendo oretenus antehac protuli, ea jam in *progymnaſmatis* ſive velitationis medicæ tres diſpeſcam partes, quarum *prima*, ſimplicem hiſtoriæ exhibitura eſt analyſin ex Inſtitutionibus hauſtam; *Media* notatu digna exhinc eliciet porismata & concluſa; *Poſtrema* parallelas producet, cumque Galenica conferet hiſtorias, nec non aphorismos huc quadrantes ſubtexet Hippocraticos. Mox ergò ad primam.

DOMINUS CONATIBUS ADSIT!

a) *de præceptionibus.* b) *Meth. med. l. 9. cap. 6.* c) *Meth. diſc. medic. Et Inſtit. l. 5 p. 1. ſ. 1. cap. 1.* d) *In præfat. operis d. Pr. Med. hiſt.* e) *In Præfat. obſerv. Med. ad fil.* f) *In præfat. hiſt. anat. ad lect.* g) *Ideæ Med. univerſ. concluſ.* h) *Meth. diſc. & exerc. med. p. m. 248. 308.* i) *Select. med. Exercit. 4. p. 1.* k) *Armatur. Med. §. 12.* l) *l. c. p. m. 250.* m) *Can. & conſult. Med.* n) *in triplici opere practico.* o) *obſervat. lib. 4.* p) *Select. Med.*

HISTO-

HISTORIA GALENI

Ex lib. 10. meth. cap. 3. & lib. de cauſ. procatarctic. cap. 1. citante Zacuto Luſitano in libro 4. Medicorum princip. hiſtor. X.

DE FEBRE ARDENTE.

Ergò juvenis qui febri eſt correptus, annos natus erat quinque & viginti, gracili corpore, & muſculoſo, veluti canis, tum ſicco, calidoque omninò temperamento: jam idem exercitatione quodammodo delectabatur, & alioquin cogitabundus, & induſtrius. Is peregrè agens, quum nuntium parùm gratum accepiſſet, & triſtatus eſt, & propere ſe accingens ad urbem feſtinavit, ac priori quidem die & laboravit modicè, & lotus, cœnatusque in quodam diverſorio quievit, ſed maxima ex parte ſine ſomno: Poſtera die magis feſtinavit, ac longa via, & ſabuloſa, & ſquallente, tum ſubfervente ſole confecta, hora propè ſeptima & ſemiſſe pervenit ad urbem. Ibi, cum ea, quorum cauſa maturaſſet, meliora audiret, in gymnaſium lavaturus proficiſcitur, deinde unctus unà cum quodam eorum, qui aderant, juvene, perfrictus eſt, à quo cum, ut paululum dimoveret, provocaretur, orta inter eos contentione (qualia ſæpè accidunt iis, qui exercitationibus indulgent) plus juſto eſt exercitatus, eratque jam immodicè ſiccus, egreſſus verò gymnaſium invenit amicorum quosdam pugnantes, quos dum dirimit, imprudens in aliam exercitationem non levem incidit, dum alios eorum divellit, alios impellit, alios complectitur meaios, alios, ut injurios increpat, ac pro iis qui injuriis affecti eſſent, iraſcitur, adeò ut domum ſe in ſumma ſiccitate reciperet, laſſitudinem, inæqualitatemque ſentiens. Aquam igitur ex conſuetudine bibens, ubi nihilo ſe levatum, ſed inæqualitatem ſibi intendi ſentit, hanc quidem vomuit. Ratus autem utilius adhuc cibo abſtinere, accubuit, ac quieti ſe dedit hora fermè diei undecima, Dies I.

II. *quod cum feciſſet, ac nocte tota febri divexatus vigilaſſet, poſtridie quoque quievit usque an meridiem, ſperans ſe ſomni aliquid conſequuturum: quo tempore cum Medici diatriton colentes inviſerent, tum quidem homini ſatis magnam eſſe febrim ajebant, veſperi autem ſe illum reviſuros. Itaq; & veſperi cum redirent, ac febrim inclinatam cernerent, ne tum quidem nutriendum cenſuerunt, quamvis etiam id alius quidam Medicus ſuaderet, immo ſtrenuè reſtiterunt, adiicientes, ſiquidem ſine febri eſſet, fortaſſe cibum daturos, febricitante autem adhuc minimè id facturos.*

III. *Quin etiam cum tertio die mane redirent, eam tertiæ diei acceſſionem transmittendam cenſuerunt. Erat autem, ut prius dictum eſt, ſuſpecta hora illius diei undecima. Ergo digreſſis illis ipſe acceſſi, ac faciem juvenis contemplatus, vidi talem eſſe qualem in prognoſticis Hipp. depingit his verbis. Naſus acutus, concavi oculi, ac reliqua quæ deinceps ab eo dicta ſcimus. Itaque cum omninò mihi perſuaderem, fore, ut tum in hecticam febrim, tum quam maraſmodem vocant, homo niſi cibaretur, incideret, ſorbitionem ex alica quamprimum paro, atque exhibeo, & tamen quamvis hac ſumpta, cum acceſſio ſuo tempore circa undecimã invaderet, ſic extremis partibus perfrixit, ut calefieri hæ vix poſſent, & pulſus ille*

IV. *parvus, imbecillisque maximè fuit, qua ex cauſa illi etiam quarto die, tum mane, tum veſperi cibum dedi, quò ſcilicet & vires repararem, & corpus humectarem, erat namque cutis ejus, ceu corium arida, ubi autem febris tenuis, & ſimilis perſeveravit, ſtatui dein-*

V. *de quinto die, non ſimplici cibatione hominem cibare, ut ante, ſed alica ex aqua calida, citraque conditurам, injectis in eam mali punici granis eſt namque is optimus cibus blioſo ſtomacho: Nam & roborat hunc malum punicum; & alica, cum diutiſſimè in ventriculo citra corruptionem maneat, nec aceſcens, nec innatans, quæ vitia accedere ſorbitionibus aliquando ſolent. Incidit*

VI. VII. *verò & in ipſo quinto principium acceſſionis ſimile. Itemque cum*

VIII. *& ſexto, & ſeptimo eum ſimili ratione cibaſſem, in octavo rurſus*

ſim ile

ſimile principium præcedentibus fuit, ubi nimirum, vel amentiam, vel pertinaciam, vel, haud ſcio, quid dicam eorum, qui in principio hominem transmittere tertiæ diei acceſſionem ſine cibo juſſerant, prorſus intelligere licebat: Nam cum cunctis evidenter appareret nunquã perventurum eum ad quartum fuiſſe, ſi nutritus ante acceſſionem tertii non fuiſſet, illi & tum eum, & ſecutis etiam diebus non rectè nutritum ajebant. Cæterum committendum non erat, ut eorum redarguendi ſtudio, ægrum quis non exhibito in ipſo acceſſionis die cibo perderet. Igitur nono die ſimiliter hominem IX.
nutriens, cernensque in acceſſione pulſum ejus redditum, quam prius erat firmiorem, cæterum imbecillitatem illam præferentem, cum extremarum partium frigore, non potui ſuſtinere illorum Medicorum meras nugas, ſed undecimo die præfatus prius ægrotantis XI.
amicis, fore ut ipſo die intelligerent hominem hactenus noſtra opera fuiſſe ſervatum, permiſimus illi præterire acceſſionis horas. Ergo cum & ſine pulſu omnino in ipſis eſſet, & frigus eum vehemens totius corporis premeret, ut nec loqueretur amplius, & vix impellentem ſentiret, convocati in unum Medici omnes qui ab initio videramus, ab ægrotantis propinquis fermè ſumus diſcerpti. Ego quidem quod ob pertinaciam ultro ægri ſalutem perdidiſſem, quî verò diatriton colebant, propter ignorantiam, & ſtupiditatem. Ac illi quidem pallidiores, frigidioresque quàm ipſe æger conſilium quoddam fugæ captabant, quod ego proſpiciens aulæ oſtium obſerari juſſeram, & ſimul amico cuidam clavem ſervare. Poſt medius eorum ſtans, jam, inquam, vobis conſtare planè arbitror, quis hactenus hominem ſervarit, ſervabitur autem, & nunc noſtra opera. Neque enim ſi periturum omninò in hac acceſſione putaſſem, à cibatione deſtitiſſem, ſed quoniam ex præcedenti jam victu, tantum illi roboris ſupereſſe noveram, ut tolerare acceſſionem poſſet, permiſi acceſſionis horas ſine cibo transmittere. At ſatius quidem fuiſſet multo ante hominem nutrire, verum quò & iſtos redarguam, & quibusdam his auſcultantium, qui confici à nobis juvenem

quod

quod illam occaſionem omiſerim, dicunt, perſuadeam, nunc illis oſtendam, vel in acceſſione ipſa ægrotantes quosdam nutriri debere, nedum ante hanc. His dictis, ac diductis hominis maxillis infundo ex anguſti oris vaſculo cremoris ptiſanæ cyathos tres, paulò autem poſt albi & tenuis vini, modiceque calidâ diluti duos cyathos, poſt quos & ſuſtulit oculos, & tum audire, tum loqui, tum præſentes noſſe cœpit, quum ante velut lignum aridum porrectus ſine voce, ac ſenſu jaceret. Rurſus itaque dato ex vino, quo dixi modo, diluto, pane ad comedendum exiguo prorſus hominem revocavi.
XII. *Quem ut rurſum ad inſtitutum ab initio victus rationem reduxi,*
XIII. *& tertii decimi diei acceſſionem facilè tolerare vidi, in quarto deci-*
XIV. *mo rurſum cibavi, ac poſt circiter horam octavam lavi. Deinde rurſus liberalius cibavi, ac mox vinum bibendum exhibui. Idem verò & in duodecimo, & tertio decimo feceram, in quinto autem*
XV. *decimo rurſum cibavi manè, cum verò faciliùs tum quoque acceſſio-*
XVI. *nem ferret, in ſexto decimo lavi, cæteraque circa hominem pere-*
XVII. *gi, ſicut in præcedentibus, at ubi in decimo ſeptimo minimè gravis, parvaque acceſſio fuit, audacter hominem de cætero ſub convaleſcentium victus ratione habui, &c.*

Progymnaſmatis Medici pars prima de Analyſi hiſtoriæ hujus Galenicæ.

Caput I.

Analyſin ac ſyllogen rerum medicinalium delineans.

NUlla cum ſit hiſtoria, ex quâ, de prædicante in paraphraſi ſua *Zacuto Luſitano*, major quam ex hac comparetur Medicis utilitas, operæ pretium præ cæteris fore duximus, hanc ad noſtram revocare incudem analyticam, facturi quidem, Anatomicorum præparantium more, à rebus terminisque ab invicem ſequeſtratis, inque ordinem redactis, initium; Progreſſuri abinde ad altius eorundem per ſingulas Inſtitutionum partes ſcrutinium. A frontiſpicio itaque,

res omnes præmemorati caſus *medicinales quatuor claſſibus* incluſas, velut in ſpeculo quopiam exhibemus. *Prima* illarum *res* continet *naturales*, ſive, ſecundum naturam dictas, utpote ſunt: Ægrotantis ſubjecti 1. temperamentum calidum & ſiccum prorſus 2. ſexus virilis. 3. Ætas juvenilis annorum XXV. 4. Habitus corporis gracilis, muſculoſus, inſtar canis. 5. Actiones omnes vegetæ, animusque cogitabundus ac induſtrius. *Secunda claſſe res* comprehenduntur *non naturales*. 1. Animi contriſtatio ab illæto nuntio. 2. Iter præproperum, ac longum per viam ſabuloſam & ſquallentem, integro fermè biduo confectum. 3. Fervor æſtivi Solis, in regione Italorum calida. 4. Lotio & unctio corporis, quæ conſueta exercitationis ſubſecutæ, vehementioris tamen & ad immodicam uſque ſiccitatem, præparatio fuit. 5. Vita gymnaſtica. 6. Excandeſcentia animi. 7. Hauſtus aquæ frigidæ ſolitus, ſed vomitu rejectus, exercitio, laſſitudine ac irâ prægreſſis. 8. Vigiliæ morbum antegreſſæ. 9. Inedia præcedens febrem, & concomitans fermè triduana, à Medicis diatritariis imperata.

In tertia rerum p. n. claſſe occurrunt: 1. *Ex morborum ac ſymptomatum ſerie*: Summa totius, inſtar corii aridique ligni, cum laſſitudine, ſiccitas; inæqualitas febrilis in continuam & magnam febrem, cum acceſſione circa horam diei undecimam, exardeſcens; vigiliæ nimiæ; Facies Hippocratica tertio die, cum pulſu parvo ac valdè imbecilli, extremorumq; circa undecimam perfrigeratione, ut calefieri vix poſſent &c. apparens. 2. *Ex affectarum partium ordine* deprehenduntur: Totius corporis habitus, præprimis autem cor, caput & artus. *Quarta* tandem & propriæ *rerum medicinalium claßi* inferimus; 1. Die tertio & manè quidem, ſorbitiones ex alicâ; quinto die, alicam in ſubſtantia, cum ſucco granatorum ad finem uſque morbi exhibitam. 2. die undecimâ & poſtea, cremoris ptiſanæ cyathos tres, & paulò poſt vinum aqua dilutum, album ac tenue, modiceque calidum ad ciathos duos, cum pane exiguo conceſſum. 3. Lotionem die decima quarta, & ſequentibus, ad uſque reconvaleſcentiam, adminiſtratam.

His *exoterica quædam* ſubnectere fas ſit, atque *occaſionem* primò & cauſam, quæ, *hancce tam fusè recitandi hiſtoriam* Galeno fuit, non tam famæ ſuæ contra diatritariorum calumnias vindicatio, ho-

rumque ignorantiæ atque ſtupiditatis confuſio ac refutatio; quam & Hippocraticæ veritatis 1. aphor. 9. & 11. illuſtramentum atque fulcimentum. De quibus Zacut. loc. cit. Iſti verò *diatritarii*, quod alterum eſt, *fuere pſeudomedici*, qui ægros febre etiam valida flagrantes, triduanæ inediæ carnificina, non curare, ſed excruciare ſolebant. Intereſt denique, ad diſtinguendum ſtatas invaſionis diætæque horas, & hoc notaſſe, quod *Romani*, apud quos Galenus tum temporis praxin exercebat, *horarum* ſuarum *initia à media nocte*, ſicut & nos Germani, exceptis Noribergenſibus, jam ab antiquo duxerint, prout ex ipſa hiſtoria & *Fabritii Paduani catena temp. annulo 28.* bene liquet.

Caput II.

Analyſin phyſiologicam aperiens.

CUjuscunque *ſubjectum morbi* eſt centrum quoddam, ex quo & in quod omnia fluunt, ac refluunt. Primus ejus rivulus ac radius eſt *temperies*, quæ noſtro in ægro, abſolutè calida & ſicca; comparatè verò, ad alios ſui ordinis juvenes atque viros, intensè talis eſt, adeò ut eam non modò ex ignis ſulphurisque prædominantis, terræque pluſculæ inæquali mixtura per naturam hauſerit; ſed & à gymnaſtica vita, per habitum quendam externum acquiſiverit, unaque intenderit. Huic quoque ſexus virilis, ætas juvenilis, actionesque motivæ haud parum favent. Et, ſi aſtra hujus juvenis conſulenda darentur, fortean à Martiali ac nonnihil Saturnina craſi, ob ingenium nati cogitabundum atque induſtrium haud parum abire; Unde etiam complexio talis æſtati, cui Sol & Mars præſunt, aſſimilari amat. Adhæc, quà individui naturam ad juſtitiam, neutrumque ſanitatis ſtatum vergit. Indeque non potuit non ſequi (ſecundarum qualitatum more quodam ex primis) *habitus totius* muſculoſus quidem, ac ſiccus valde, pinguedine carens, gracilis, compactus & per analogiam quandam caninus. Ecquis porrò negare auſit, *ſpiritus & humores* cum calido nativo pariter calidos ac ſiccos, *ſanguinemque*, quoad alimentoſam & excrementitiam ſubſtantiam, bilioſum eſſe? *Partes* denique *Principes*, cor præcipuè & hepar multùm caloris fibroſæque ſiccitatis ac firmitudinis habere? Neque obſcurum ex his

eſſe

eſſe poteſt, cur recenſiti *animi corporisque mores ac motus*, præfatæ craſeos fructus ſint. Quin & ex cunctis hiſce præſuppoſitis, *virtus illa totius rectrix*, interni Medici vicem agens, ſatis robuſta, ſuique & conſervativa & vindicativa clarè ſatis explendeſcit. Atque adeò ita *inter ſe invicem concatenata ſunt hæc ſingula*, ut tanquam cauſæ, effectus & accidentia ſeſe mutuò, velut in eſſendo: ita & in cognoſcendo, ponant ac tollant, utpote, quod ex uno eodemque naturæ ægrotantis centro & fonte promanent.

Caput III.

Analyſin pathologicam, ac in ſpecie noſologicam expediens.

FLoruit hactenus juvenis noſter, nunc verò præ calore & ſqualore, colchici & cucurbitæ Jonææ inſtar, marceſcens ſpectaculum eſt. Vix ſub cœlo, caput adhucdũ cœlotenus attollebat, & ecce! mox in lecto totus, qualis quantusque eſt, ardentis flammæ & prunæ, truncique inſtar aridi proſtratus jacet. Febris etenim omnium máximè febris, imo *ignis* ab *Hippocrate* (*a*) & ab omnibus unanimi ore *cauſus*, vel *febris cauſodes*, *ardens* ac *exurens &c.* appellata, malè cautũ aduſſit juvenem. Hujus ſi *ideam* velimus, quid niſi *dyſcraſia*, quà calorem & ſiccitatem, ſicuti intenſiſſima: ita *bilioſa* atque, *flammea*, adeoque igneum totius incendium eſt? unde ſatis liquet, quod juxta *Galeni* (*b*) mentem ſit *febris peracuta in ſola flava bile intra* (& extra) *vaſa accenſa, ad integritatem nequaquam deſinens, ſed perpetuo à principio febris usque ad criſim ſimilis perſeverans, eò quod nulla ſenſibilis appareat declinatio, ac proinde ingenti æſtu & indeſinente ſiti, nec non & linguâ arida nigraque aſſidue comitata.* Talis propè facies præſentis quoq; febris fuerat, licet non omnia illius à Galeno aperte commemorata, ſed tacitè ſub audienda fuerint tecmeria. Et profectò non poſſunt non adfuiſſe, quoniam nonniſi per hæc ipſa ad Hippocraticam tranſitus patuit faciem. Hinc tandem Ætnæus iſthic ignis, ſpirituum humorumq; pabulo non contentus, ad ſummum uſque caloris gradum, de termino in terminum aſcendens & accendens, in *maraſmodem* paucas intra dieculas, propemodum degenerat *febrem*, quam in ipſa hiſtoria vivis ſuis & *Hippocraticis* (*c*) depictam

Galenus exhibuit coloribus. Notanter autem ille: *Se omnino ſibi perſuaſiſſe, fore ut tum in hecticam febrem, tum quam maraſmodem vocant, homo niſi cibaretur, incideret*, innuens ita, non primariã, ſed *ſecundariã & concomitantem & ſimplicem hanc hecticam*, jam jam ſecundum affectaſſe gradum, eò quod tabida & marasmodes quidem, at non exquiſitè talis, verum *incipiens, creſcens imminensq; ſimul* extiterit, cujus quippe indoles per morboſam ſiccitatem & ſenſibilem operationum læſionem, ob roridæ carnoſæque ſubſtantiæ conſumptionem ſeſe prodit, ipſo diſcrimen hoc ſuppeditante febrisq; ex natura derivante *Galeno*. (*d*) Quibus ita ſe habentibus morbus inde reſultat ex proto- & deutero-pathico, ex dyſcraſia, conformatione depravata, magnitudineq; imminuta *mixtus quaſi, & compoſitus*. Accedunt his, ſi poſt eſſentiam, *qualitatē* examinemus; 1. *Vehementia ſive magnitudo* ex parte ſubjecti, cauſarum ac ſymptomatum. *Subjecti ratione*, quia totius corporis & cordis quam maximè balſamica ſubſtantia ferè exuſta, virtusque eſſentialis exhauſta eſt. *Vi cauſarum*, quæ ex enormi corporis animiq; motu, ex Solis æſtu, ac inedia fermè internecina cuivis obviæ ſunt. *Symptomatum* merito, quoniam præ cæteris cap. pr. recenſitis, virtus totius rectrix ac tectrix periculosè proſtrata jacet. 2. *Acuties ſumma*, tertio jam die quodammodo expirans & in hecticam, quæ chronica eſt, deſciſcens. 3. *Eventus periculoſi*, imò buſti lethalis metus, tam ob immanem morbi à natura receſſum, quam ob vitale jubar, virtutemque tantum non extinctam. 4. *Inhæſio* hecticæ febris firma & habituata, Cauſo contraria, 5. *Analogia* cum craſi, habitu, ſexu, & ætate ægroti, nec non cum æſtate, paſſim in caliditate, ſiccitateque congruens. 6. *Inæqualitas* dyſcraſiæ quà cauſum; *æqualitas* verò quà hecticam, quia calor febrilis per univerſum corpus ſeſe diffudit. 7. *Origo* non hæreditaria, ſed adventitia, quâ febris hæc ab externis cauſis accenſa fuit. 8. *Indoles humoris bilioſi* non ſpuria, ſed legitima ac ſyncera, omnisque putredinis expers. Si porro, *quantus* hic ſit affectus pernoſſe quis deſideret, ſciat, quod 1. Cauſus hic è *continuarum* ordine ſit legendus. Quod 2. *brevis* ille, ſed hectica *longa*, & utraque *æſtiva* ſit febris. Quod 3. Febris ardens motu *celer & ordinata*, hectica verò *moroſa* ſit. Et quod tandem non niſi *ſporadicis*, & corporis reſpectu *internis* ac *univerſalibus* annumerari mereantur morbis. Maximi verò hæc inter ac-

cidentia

cidentia momenti eſſe ſolet *criſis*, utpote quod acutorum proprium ſit morborum, criticè i. e. per manifeſtas alterationes & evacuationes mutari atque moveri. Utut autem idipſum prorſus inficias ire nolimus: ita nihilominus præfatum *hunc cauſum*, haud iniquo excipiendi jure, *omnis illius expertem criſeos pronunciamus*, quippe qui putredinis exors, & pepaſmi incapax, & excretionis ignarus, ſola ſolutus & curatus fuit extinctione. Sed hæc accuratiori ſecundæ partis trutinæ demandabimus. Ulterius jam progrediendo infelices pathematis hujus comites atque ſatellites offendimus, *ſymptomata* nimirum haud inermia, ſed enormia, eaque 1. ex functionum claſſe occurrentia ſunt: *Laßitudo* tam ſpontanea ab æſtu febrili; quàm laborioſa ab animi corporisque commotione per accidens exhauriente ſuborta. *Vigiliæ* caloris ac ſiccitatis proles. *Pulſus imbecillis virtusque* cordis ac totius ſubſtantialis, ab inediâ ardoreque tabefactivo ſubſtantiæ ratione conſumpta. 2. Ex qualitatibus mutatis produnt ſeſe; *Inæqualitas febrilis* cum extremorum frigore, à ſanguinis ad interiora raptu, calorisque fuga proficiſcens. *Cutis calor acris, & ariditas*, & paucis, *Hippocratica facies*, quæ, immodicam illam nutritii Nectaris ac Ambroſiæ deprædationem, hinc ab inedia pabulum denegante, illinc ab igne depaſcente factam, conſecuta fuere. *Excretorum ſymptomata*, haud dubiè non abfuere, utpote vel dejectio alvi bilioſa, vel vomitus talis, vel ſaltem urina flava & ignea. Sed cum uſitata hæc ſint cauſi ſymbola, ideò forſan Galenus, de hiſce & hujus monetæ aliis, tacere maluit.

a) *1. Epid. Sect. 3. text. 19.* b) *l. 2. d. criſ. c. 6. & lib. definit. med.* c) *lib. 1. progn. text. 3.* d) *l. 1. d. differ. feb. c. 9.*

Caput IV.

Analyſin ætiologicam exponens.

Cauſas ex quibus morbi fiunt *inquirere*, morborumque vires conſiderare *Hippocrates (a)* præcepit. Hoc jam facto, ad illud etiam nos accingemus. Morborum autem cauſarumque vis atque natura, proximior imprimis, eadem utrinque & quaſi concentrica eſt. Propterea, & Cauſus & Hectica cum ſuis cauſis, ex eâdem Vulcani calidi ſiccique pungente prodiere uſtrinâ, quæ cum ſit

ultima ac proxima, utique ab aliis ſe prioribus ac remotioribus pendebit cauſis. Neque verò quales quantæque etiam ſint, vel quicquam effecturæ ſunt, niſi in actu ſint poſitæ, neque hoc factu poſſibile, niſi *patientis* conſenſerit *diſpoſitio*. Talis autem in præſenti caſu juvenis proponitur calidus, ſiccus ac bilioſus, aliisque in capitis primi claſſe prima recenſitis præditus dotibus, ita ut neque *nativa*, neque *adſcititia* per gymnaſticam vitam victumque conſtitutio, inque febrilem hanc bigam propenſio deſit. Quis namque miretur, quod vel naphta vel Spiritus vini, vel pyrius pulvis ignem facile concipiant? Quis non perſpiceret, quod ab extra Solis ſolique fervor & ſqualor, per ſe & aperto velut Marte juvenem hunc accenderint? Quis non animadverteret, quod immodicæ in palæſtra & itinere defatigationes, cum triſtitia, ira ac vigiliis, doloſos ex accidenti ſubjecerint atque excitarint ignes? Quamprimum enim externis his violenter agentibus, *internè conſpirans* obviam ivit cauſa, *ſanguis* utpote *bilioſus*, mox p. n. hic alteratus, calefactus, accenſus, inflammatus in febrem primò flagrantem, & per hanc exiccando ac reſolvendo, in hecticam tandem exarſit prunam. Itaq; ergò procatarcticæ illæ cauſæ, in propinquam & internā bilioſam cauſam, quæ bilis eſt, hæc verò in cor totumque corporis habitum, ſuam eructarunt flammam. Sanguinis autem bilioſi nomine tota venit *maſſa ſanguinea, bile* cum alimentaria, tum excrementitia adhuc *reſtagnans*, putredinis quidem expers, aliis tamen *nocendi telis armata*: 1. *Qualitate p. n. calida* & *ſicca*, unde febris; acri & penetrativa, unde reſolutio & conſumptio. Eſt namque bilis, teſte etiam *Sene* (*b*) noſtro *veluti ſulphur, quo reliqui humores accenduntur*. Sulphur autē, præſertim intemperatum, ſale non caret mordaci. 2. *Quantitate & copiâ*, quâ verè magnam perque totum diffuſam humoralem excitavit febrem. Inopia verò, dum meliore ſui parte depaſtus hecticam intulit. 3. *Motu ebullitionis*, quia bilis tyranni inſtar, ut *Montanus* (*c*) loquitur, peſſimi, neque certam habet ſedem, neque ſtare novit loco. Scilicet, juxta *Hipp.* (*d*) ignis in corpore introrſum, extrorſum, & circumcirca moveri aptus eſt. *Hic autem motu* potiſſimum perenni affligit, vix ſenſibilem agnoſcens remiſſionem, hinc continua non potuit non exardeſcere febris. Motu quoque inæquali peccat, quando ſub ipſum paroxyſmi inſul-

tum

tum exteriora relinquit, poſt modum repetit. 4. *Loco* lædit omnes amburendo totius partes. Et tandem 5. *Tempore* non intermittente, licet paululum remittente infeſtat. *De aſtris* quod dicamus, Galenus excepto Solis fervore nihil habet. Indubium tamen eſſe poteſt, Martem quoque vel Sirium, ut & Saturnum, in themate febricitantis natalitio, Soli, Lunæ, Jovi, vel & Veneri haud parum nocuiſſe; Qui vel maximè, forſan per directionem, vel revolutionem, vel per tranſitum, vel per omnia junctim ad hoc incendium negotioſi fuere. *In ſpecie* tandem, adæquatam *hecticæ* hujus febris, nondum exquiſitæ, *cauſam*, in roridæ carnoſæque ſubſtantiæ exhauſtu ac defectu collocamus. *Symptomatum ætiologia* capite tertio jam præmiſſa eſt.

a) *lib. 1. d. morb. mul.* b) *lib. 3. d. morb.* c) *d. uteri affectib.* d) *l. 1. d. diæt.* §. *143.*

Caput V.

Analyſin ſemioticam expandens.

AB intellectuali ad ſenſualem nunc pergimus morbi indaginem, quâ conſtare queat; *utrum juvenis noſter prædicta febrium biga detineatur*? Antequam verò hoc detegamus. 1. *Complexionis calidæ ac ſiccæ notas* ex hac hiſtoria conſpicuas præmittere expedit; Sexum nempe virilem, ætatem juvenilem, habitum caninum, mores animi, vitæ genus, ardoremque ipſum febrilem. Hinc 2. ad *partem primariò laborantem tendimus, quam cor eſſe*, evincunt à priori, cauſæ calefacientes in hiſtoria enarratæ, quæ mediante ſanguine, non potuerunt non in cor quoque impreſſionem facere. A poſteriori verò, arguunt id inæqualitas febrilis, pulſusque imbellis. 3. *Cauſum adeſſe*, flammeum & indefeſſum illum cordis totiusq; corporis incubum, nemo ambiget, qui cauſas ejusdem indolis externas, impetuoſo plenoque folle in palæſtritam illnm involantes, qui inediam inexculpabilem, qui calorem totius acrem & ſiccum, & ſine intermiſſione defatigantem, qui denique ſymptomatum inde efflagrantium perniciem annotaverit. Necdum verò ideæ febris hujus penitus ſatisfactum eſt, ſed demonſtandum inſuper *cauſum hunc* non ſpurium, ſed exquiſitum & quidem *imputrem fuiſſe*. Argumento igi-

to igitur ſunt: ſignorum ardentis ſpuriæ ac putridæ abſentia, deque hac ipſa negatio. Poſitivè verò ſeſe produnt: corpus biliosſum, ſiccum, gracile, aliàs ſanum; cauſæ procatarcticæ, quà calidum quà ſiccum, plurimum & repentè alterantes; Symptomata ferociora ſiccitatem præuſtam eveſtigiò prementia, cujusmodi fuere, calor dubio procul in arida cute acriter feriens, & vel ſola facies Hippocratica. Quæ ſigna *Fernelius (b)* ad ſynocham biliosſam retulit, ab ardente hac non alienam. Addamus his ex *Zacuto* l. c. ſignum à juvantibus manifeſtum: *Cum enim febris hæc ex bile inflammata & non putrida eſſet exorta, idcircò cibus ſummo fuit auxilio, qui valdè obeſſet ſi vel ex copia, obſtructione, phlegmone, vel putredine conſiſteret.* 4. *Hecticam* inſuper *ſecundi gradus*, quæ marasmodes à Galeno vocata, ſatis firmum jam pedem fixiſſe Oedipo opus non eſt divinatore, eò quod præter antegreſſas, immani & conjurato quodam niſu reſolventes atque præaſſantes cauſas, vel ſola facies Hippocratica ſatis ſuperque teſtatum ire queat. Hanc autem, non roſeam Veneris, ſed cadaveroſam Saturni faciem, Cous ille Medicorum Apelles *(a)* atro hoc, ſed exquiſito depinxit carbone: *Oculi ſunt cavi, tempora collapſa, aures frigidæ, & contractæ, ac lobi earum inverſi, & cutis circa frontem dura, circumtenſa & arida exiſtens, & color totius faciei chlorus, vel niger, aut lividus, aut plumbeus.* Porrò, ignis hic exurens, quod morbos inter benignos quidem, ſed magnos & acutos, quà hecticam verò inter chronicos numerandus ſit, ſatisdum ex jam præfatis elucеſcit notis, nonnihil etiam ex accidentalibus utriusque febris differentiis, cap. III. commemoratis, huc derivare haud extra oleam erit. Adhæc etiam, cauſæ internæ, *ſanguinis* nimirum *biliosi* ſymbola deſideranti, ea damus, per quæ complexionem calidam, & febrem cauſodem jam ante comprobatum ivimus.

Ecquænam verò *præſagia* de utroque hoc febrili caumate ferenda ſint, pariter diſpiciendum. 1. *Eventus qualitatem* ſcrutaturis, haud exiguam *ſalutaria* hæc ſpem accendent *teſtimonia*: Corpus adhuc juvenile, gymnaſtico robore ſubactum, nec cacochymicum valde, nec cachecticum, neque δύσπλαγχνον, neq; morbis antea fractũ. Febres inſuper naturæ, & ætati, & habitui & anni tempeſtati analogæ. Facilisque per alimenta medicamentoſa refectio. *Ex adverſo* autem conceptas bonæ ſpei ſcintillulas extinguere conantur *hæ minæ*:

Re-

Repentina ac violenta plurium cauſarum evidentium conjuratio & impreſſio. Febrium atque ſymptomatum intenſio. Et quod caput mali eſt, virtus totius rectrix eſſentialiter, uti loquuntur, proſtrata, propter hecticam cauſa ſua longè deteriorem inſecutam. *Quid ergò concluſi hic capeſſendum?* Audi. Miſerum ac teſtaceum illud corpuſculum, Scyllam inter & Charybdin quidem fluctuare, attamen ſine naufragio liberatum iri *ſpem adhuc ſupereſſe.* Signis utpote præmemoratis ad bilancem prognoſticam revocatis, ſalubribus præpondium adſcribimus prænuntiis. Siniſtra namque auguria, utut magna & gravia ſint, expendendum tamen; Medicum reſiſtentem internum (vires nempe) nondum per tertii gradus hecticam penitus eſſe debellatum, ſed ad oblata benè ſe habere, cauſarum morborumque impetus ſtrenuè adhucdum ſufferre ac ſufferendo eſſe. De *modo eventus* dum ſolliciti ſumus, rarus quidam, inſolitusque ſolutionis ſeſe detegit modus, qui *ex parte Cauſi* neque per λύσιν, neque per κρίσιν, ſed *per σβέσιν ſ. extinctionem,* licet artificialem, factus eſt; utpote, quod nec pepaſmi, nec putredinis abſentia, alium ferre modum potuerint, *Hecticam* verò, quæ poſt Cauſum adhuc ſuperſtes, *paulatinum, & experturam & expertam eſſe exitum*, vel ſola ſui indoles patefacit. 3. *Tempus eventus* in Cauſo brevitatem, in Hectica longitudinem amat, prout id ex praxi quotidiana, & ex ipſa ſatis liquet hiſtoria. Cauſus nempe tertio & quarto die in hecticam degenerans, tardigradam atque infelicem ſibi pediſſequam adjunxit. Signorum vicem & cauſæ & ſymptomata utriusque febris induunt. *Brevitatem* quidem *præſagiunt*: 1. Ipſius ardentis idea, acuties, motus continuus, invaſio circa meridiem &c. 2. Cauſæ calefacientes repentinæ ac immoderatæ, in ſubjectum per omnia diſpoſitum & proclive agentes. 3. Symptomata, ſubitanea æquè ac violenta ſuperius recenſita. *Diuturnitatis* verò *præſagia*, ex ipſa hecticæ febris fixa, habituata & radicata indole, haud obſcurè prorepunt. Et quamvis hectica acuti quid fovere videatur; eò quod cum cauſone, faſcibus facibusque hujus nondum depoſitis & extinctis, conjunctum fermè imperium habere videatur, utpote cujus invaſio meridiana, ultra 14 tum diem ſeſe prorogabat, illa tamẽ ſui haud immemor genii, lentè graſſante ac Saturnino igne ſuo, in plures uſque dies moras nectebat, imò vel tandem ad rogum uſque, niſi Galenus ſuffo-

caſſet, comitata fuiſſet ægrotum. *Interea*, haud inficiandum putamus, ob illudipſum acuti ac lenti, volatilis & fixi ignis ſocium adhuc fœdus aliquod, *medium* quoque, peracutos inter atque chronicos terminos, *durationis tempus* emergere poſſe, quod & hoc in caſu factum fuiſſe veriſimile videtur, cauſo quidem ultra ſuum transeunte; hectica verò infra ſuum ſubſiſtente terminum. Hoc oculatiſſimus obſervaſſe videtur *Iodocus Lemmius* (a) ita differens: *Raro autem ſimplex eſſe hectica, ſic ut alteri non miſcatur, ſolet. Sæpè ab acuta febre, incipit, incendio humorem corporis inſitum depaſcente: ſitque tum id genus febris, quam colliquantem dixerant. Repentè autem ſatis ea & naſcitur, & occidit, id quidem brevi efficiens, quod ſimplex ſenſim longoque ſpatio.*

a) *Obſervation. medicinal. lib. 1. p. m. 47.*

Caput VI.

Analyſin practicam & in genere Indicationum recludens.

Apollo Medicinæ parens ab antiquis dictus & fictus fuit; Apollineo etiam, vel potius Hippocratico innitimur tripode; *ſubjecto, morbo & cauſâ.* Hæc nempe, triplex Medicinæ objectum conſtituere, nemo non novit. Hujus idcircò per omnes Medicinæ partes examine atque ſcrutinio opus eſt, at quomodo? Haud ſub uno eodemque ſchemate, ſive, ut Philoſophorum eſt loqui, ſub uno formali; ſed uſus ac neceſſitatis ergò, ſub multiplici id fiat operæ pretium eſt. Specimen hujus, nos quoque in præfixæ nobis hiſtoriæ enucleatione exhibemus, cujus objectivam trigam, cum jam 1. Phyſiologicè & pathologicè, h. e. ſub conceptu rerum ſecund. ac pr. naturam, nudè ac phyſicè expenderimus. Cum 2. Semioticè, prout ſigni & ſignati naturam induunt, perſpexerimus. Supereſt ut 3. Scopum cominus tacturi Medicum, objecta illa verè medicè ſ. practicè demum explicanda & applicanda, in theatrum producamus Galenico-Hippocraticum, ubi benè mutatam, ac ſalutarem *Indicantium* induant neceſſe eſt faciem, quibus deniq; ſua quoq; vi relationis, ſuccedere teneantur *Indicata*. Paucis; expeditum hucusq; de objectis illis dedimus. 1. Quid & unde ſint? 2. Utrum inſint & ad-

& adſint? 3. An medicabilia ſint? Nunc igitur 4. trutinandum, *quomodo circa* eadem *ſit agendum* in genere. In ſpecie verò, *quidnam* & *per quod*, & *quonam uſu ſit agendum*. Cynoſura autem agendi ſunt indicantia, quorum *duo palmaria* ex primo capite huc derivare neceſſum ducimus. Quid enim *res primæ claßis ſecundum naturam* aliud ſunt, quam Indicantia *proſthetica*? Quid *res p. nat. tertiæ claßis* aliud ſunt, niſi Indicantia *aphæretica*? Atque ſic breviter duorum indicantium, primum *ſubjecti naturam*, alterum, *morbi ideam* conſtituimus, ùtpote quod ſubordinata & ſpecialia ſub ſeſe cætera complectantur indicantia.

Atque hinc etiam *ſecundaria* reſultare ſolent *indicantia*, cujusmodi ſunt, 1. *Ex coindicantibus*; res naturales quinario comprehenſæ, resque non naturales numero novem. 2. *Ex contraindicantibus* nullum niſi forſan apparens habetur, febris nempe & extremorum frigus. 3. *Et correpugnantibus*, res naturales, & non naturales, jam cap. 1. recitatæ, pariter in cenſum veniunt, quarum centrum quoddam virtus eſſe ſolet, ſubſtantiâ ſuâ hic deficiens, èque diametro inediæ, omni evacuationi, nimiæque alterationi repugnans. *Primarium* verò *par* illud indicantium, ſubjectum, febrisque complexa, *legitimum eſſe indicans*, non tam ipſa definitio, quam & quatuor clariſſima fidem dabunt teſtimonia: Res p. n. affligens, permanens, intellectui nota, & una. *Indicationes* exinde erutu difficiles haud ſunt. Sic 1. *Indicatio conſervatoria* & vitalis ſ. diæteticà, ex ipſa decumbentis noſtri ſubſtantiâ; *Curatoria* autem ac therapeutica, ex gemina febre fluit. 2. Si Galenum reſpexeris, indicatio *artificioſa*; Si diatritarios excuſſeris, *inartificioſa* in propatulo erunt. Rurſus 3. *Vtilis* eſt ex parte Galeni, *inutilis* quoad diatritarios; inedia enim triduana ſicut inutile, imò nocentiſſimum fuit indicatum: ita ejusdem fufuris præſupponit indicans, à pſeudomedicis illis, non ſine exitioſo errore fictum; *omnes* ſcil. *febres nonniſi in corpore impuro ſuccendi ac nutriri poſſe*. Adhæc etiam, ſi febrile illud incendium, arefacti jam rogi juvenilis, ſummum arripuiſſet apicem, quid, quæſo, quam inutilem peperiſſet indicationem? Cæterum, noli mirari, quod *prophylactica intentio* exulare hinc juſſa ſit, quippe quod nec plethora, nec cacochymia, aggravante & inquinante ſui copiâ, damnum aliquod intulerint. Accedit, quod *eſſentialis*

debilitas, præter alia correpugnantia, omnem penitus eliminarit inutilemq; reddiderit evacuationem. Hinc poſtliminiò, tertio quippe die, vocatus ubi acceſſit Galenus, Hippocratica juvenis facie tantopere fuit perterritus, ut prophylacticam eidem porrigere non auſus fuerit dextram. Quid ergò reſtat negotii, niſi ut expendamus, *quid Galenus*, rebus in dubiis ægroti, inque pejus jam ruentibus, *conſilii auxiliique in medium attulerit*? Solis in menſa poſitum eſt, Galenum in ancipiti curationis regularis, & irregularis ſ. coactæ bivio hærentem, hanc elegiſſe viam, quæ videlicet *ab urgentiori* quocunque indicante, & à virium præcipuè lapſu, naufragioque imminente proficiſcitur, ſusque deque jam tum habito, à febre hujusque cauſa, deducto remedio. Sequitur ergo

Caput VII.

Analyſin Indicationis vitalis inſinuans.

PRæfixâ jam medendi cynoſurâ, nemini non patebit, ad *quid agendum* haud arduam nimis viam eſſe, at verò *quo ordine agendum*, & quodnam è multis alteri ſit præmittendũ, hoc equidem ex Dictatoris noſtri mente, (a) difficilis eſſe judicii. Nonnnunquam enim à regia deflectendum eſſe via, Galenica hæc præclarè edocet curatio, quâ *ſubjectum* hujusque *virtus* alioqui ultimas, hic verò in hectica primas tenens, à Galeno, tanquam pro aris focisque, *contra Diatritarios* non minus gloriosè, quam animosè pugnante, aſſerta fuit. Iſti nempe cacomedici, imprudentibus & impudentibus cauſidicis, verius dixeris cauſificis aſſimiles, prout hi clientum cauſam: Sic illi febricitantis hujus cauſum, rerum nervos ſubtrahendo, protraxerunt & auxerunt. His propterea larvam ſuam detrahere oportet: Interrogati etenim, *utrum in acutis*, *harumque longè magis in acceſſione nutriendi ſint ægroti*? Bellè ſe per inficias reſpondiſſe, probeque curaſſe opinantur, ſi ad Hippocratis, rationis & experientiæ tribunal ita appellarint: 1. *Hippocratis ſancita* eſſe; Impura corpora non eſſe nutrienda, (b) febricitantium verò talia eſſe. In acutis & peracutis victum plus minusve eſſe circumcidendum. (c) In vigore (d) ipſoque paroxyſmo (e) vel tenuiſſime cibandum vel prorſus ſubtrahendum eſſe. E. etiam in cauſo hoc idem facto opus videri. 2. *Ex rationum*

num momentis; Cibos febrificæ cauſæ pabulum eſſe, naturam à pepaſmo abſtrahi, excretionem ſufflaminari, ipſaque in acceſſione præcordia & hypochondria oppreſſa anxiam reſpirationem, febremque fervidiorem reddere. Quæ pluribus deducta apud *Zacut.* l. c. & *Iacob*: *Primeroſium* (f) legantur. 3. *Experientiæ aſylo* minimè ſe deſtitui, cum & propria & aliorum Medicorum quamplurima per inediam à febribus curatorum, exempla ſint obvia. At quid ad hæc Galenus? Corripit & corrigit diatritarios. 1. *Quà authoritatem*, ſophiſma, à dicto ſecundum quid, ad dictũ ſimpliciter, exprobrans, hoc illis obgerit; *dictiones Hippocraticas*, uti Zacutus, ex Galeno, (g) oſtendit, *frequentiam notare, non perpetuitatem.* Decreta igitur Medica ad rigidam categoricæ neceſſitatis libellam examinanda neutiquam ſunt. Quin ut *Hippocrates pro Hippocrate* pugnet, ex ipſis ejus Aphoriſmis contrarium diſcant: *Victum in acutis à virtute interdum urgente indicari.* (h) *Imò tenuem & exquiſitum illum, ubi non convenit in acutis, nec delicti, nec erroris, nec gravis periculi immunem eſſe.* (i) *Famemque adeò, quod exiccet corpora*, non gracilibus & ſiccis, qualis cauſodicus ille adoleſcens fuit, ſed *humidâ carne præditis imperandam eſſe.* (k) Eadem ex *Avicenna* (l) aliisque haud paucis unanimi ſententia fluunt. 2. Pergamenus noſter *rationes rationibus infringendo*, fallaciæ, ſecundum non cauſam ut cauſam, ſcite eosdem arguit. Neque enim omni in caſu & cauſa rationes illæ præpollent, quia non ſequitur: ponitur febris acuta, eaque in acceſſione E. neceſſariò indicat inediam, eò quod prudens Medicus, audito licet indicante, contraindicanti tamen alteram aperiat aurem neceſſe ducat. Quin etiam, quod plus eſt, neque omnis febris inediam, abſente quamvis correpugnante, indicabit, quia quædam in corpus etiam non putridum incidunt, quales ſunt, Synochæ exquiſitæ, & hecticæ ſimplices, & præſens quoque hic cauſus. 3. *Experientiam experientia retundendo*, errorem, à particularibus etiamſi non paucis, ad univerſale ſimpliciter concludentem, ipſo facto eluſit contrario. Atque quod eſt majus, prudenti auſu ac uſu demonſtravit, vel in media exacerbatione, nedum ante illam exhibendum eſſe cibum. Eluceſcit hinc, diatritarios iu primo & ſecundo errore, Methodicorum (hoc titulo indignorum) caſtra ſequi; in ultimo, Empiricos agere; in omnibus, irrationales ſeſe Medicos pro-

 ſtituere.

ſtituere. Relinquitur ergò, ut cũ *Zacuto* l. c. concludamus; *Calida & ſicca corpora in ipſo vigore eſſe cibo humectanda, in quibus ad alimentum exhibendum nunquam declinatio expectari debet; ex prohibita enim vel retardata alimonia, plurima mala oriri eſt neceſſe, cum denegato humido nutrimentali; corpora exareſcant, maximè cum ob meatuum amplitudinem, ſubtilitatem ſanguinis, & continuam ſpirituum agitationem facilè reſolvantur, quare iis virium robur adeſſe nequit.*

Cum itaque intrepidè nutriendus ſit hic æger, jammodò ad ſpecifici remedii, materiæque proportionatæ inventionem & applicationem porrò deſcendendum eſt. *Adæquatum* & *ultimum indicans eſt ſubſtantia* ſpirituoſa & humida ad ſecundum uſque gradum *deficiens*, caliditatis & ſiccitatis intenſæ, profundæq; particeps. Huic igitur ejusd. ordinis & gradus *Indicatum* eſt opponendum, *alimentum* nempe, ſubſtantiam illam alendo, roborandoque *reficiens*, frigidum ſimul ac humidum, partium tenuium, & quantitate molis potius, quam virtutis in ſecundo gradu poſitum. Uno verbo, *cibus medicinalis* frigidus ac humidus. Hujus autem indolis *alicam* eſſe, *mali Punici granis conditam*, & *cremorem ptiſanæ*, & *panem*, Galenus cum ratione, tum experientia fultus perdidicit, ideoque etiam elegit. Nec minus artificioſo adminiſtrandi uſus eſt regimine; 1. Etenim, ut Hippocraticis inſiſteret præceptis, dubio procul *mediocre* ab initio voluit eſſe, *alicæ* imprimis, *dimenſum*, quò videlicet, una ex parte, ætati, & conſuetudini (m) plura deſiderantibus; altera ex parte æſtati ac regioni (n) pauciora exigentibus ex æquo ſatisfaceret. Poſteris veró diebus, ob vires magis magisque erectas, augendæ doſeos immemor non fuit. Siquidem ad plenos adſcendit eosque duos vel tres cyathos. Cyathus verò 12. eſt drachmarum apud Romanos, ſive unciæ unius cum dimidia, quod ex Oribaſio ac Paulo demonſtravit Zacutus. Poſtinde duodecimo die ad panis exiguum acceſſit, cœterisque ſingulis liberalius cibare cœpit diebus, donec tandem decimo ſeptimo & poſtea audacter hominem de cœtero ad convaleſcentium victus rationem revocavit. 2. *De modo exhibendi* ſollicitus Romanorum ille Archiater, à liquidioribus ad craſſiora adſuefecit ægrotum, exhibendo primùm ſorbitiones ex alicâ, hanc dein quinto die in ſubſtantia, ſed in aqua calida coctam, malique Punici granis conditam. Abhinc verò 17mo die

ex

ex ſolidis cibis, panem quoq; comedendum conceſſit. Huc pertinet quod die IIImâ ob ſummam debilitatem paulò poſt cibum, vini albi & tenuis, modiceque calida diluti duos ex anguſti oris vaſculo (ne ſtomachum obrueret) cyathos infudit. 3. *Tempus* quod concernit, nihil à Galeno neglectum putamus; corpus enim celeri cauſo extenuatum, ex Hippocratis decreto (o) celeriter, ipſoque quo acceſſit tertio die, quamprimum cibavit. Porrò, quoad particularia tempora, non modò ante & poſt, ſed & in ipſa acceſſione, virium gratia, cibo reficere non veritus eſt. Sub finem denique pleniore nutrimento refocillavit. 4. *Loci*, non eſt ut multam faciamus mentionem, per os enim omnia fuere ingeſta. Atque ita, *quid*, *& per quod*, *& quo uſu*, in vitali hac cura agendum ſit, actumque à Galeno fuerit, explanatum eſt.

(a) *I. Aph. 1.* (b) *II. Aph. 10. 19. VII. 65.* (c) *I. A. 7.* (d) *I. A. 10.* (e) *I. A. 11. II. Acut. 46.* (f) *d. vulgi errorib. l. 3. c. 5.* (g) *lib. 1. d. form. fœt. c. 2. VI. Aph. 58.* (h) *I. Aph. 9. 10.* (i) *I. A. 4. 5.* (k) *VII. A. 59. VI. Epid. ſect. 3. §. 31.* (l) *lib. 4. tract. 2. cap. 8.* (m) *I. A. 13. 14. 17.* (n) *I. A. 17. 18.* (o) *II. A. 7.*

Caput VIII.

Analyſin therapeuticam adumbrans.

HAc in cura parcus & paucus fuit Galenus, de quâ & nos pauca. *Indicans* præcipuum eſt febris in ſummo ſui ordinis gradu calida & ſicca, *Cauſus* dicta, nec non *Hectica* ad ſecundum uſque gradum evecta; adeò, licet compoſitus hic ſit affectus, nihilominus therapeuticè unus & ſimplex ſalutari meretur, *Indicatum* quippe utriusque, eſt ſpecificum *refrigerans ac humectans* ſi non qualitatis, tamen operationis *gradu eodem oppoſitum.* Neque verò ſcopus hic in ipſa praxi ſeorſim petendus, ſed & ad priorem diæteticum collimandum erat, qua de cauſa ex binis indicationum generibus, Galeni judicio unum ſed *complexum emerſit & indicans & indicatum*, quod eſt *medicamentum alimentoſum*, alterans videlicet & analepticum. Proinde, hanc inter atque priorem indicationem parum intereſt diſcriminis, niſi quod alterantia quandam hic exoptent præpollentiam. Præterea etiam Galenus ad ſanguinis

&

& hepatis *ſympathica & appropriata* intendens, *mali Punici grana*, cordis verò ſpirituumque vitalium cauſa, *vinum dilutum* ex materia medica adoptavit. Hiſce in declinatione pro extrinſeca alteratione *balneum aquæ dulcis*, ex calido in tepidum ſive ſubfrigidum deſinens, more modoque tum temporis conſueto, adſociatum fuit. Therapeuticum internorum *regimen*, quia non modò cum diætettico maximam partem coincidit, verum etiam ex ipſa ſatis liquet hiſtoria, ideoque filum hoc abrumpimus.

Caput IX.

Analyſin & examen materiæ medicæ continens.

DUo Militiam proximè ſuſtentant fulcra; *commeatus & armatura*: Totidem etiam Medicinam; *alimenta* nimirum, & *inſtrumenta*. Hæc vel *therapeutica* ſunt, nempe medicamenta; vel *chirurgica*, ut, ferrum & ignis. Illa levis, hæc gravis armaturæ vicem gerentia. Ex his, Galenus per alimenta & medicamenta cauſum & hecticam debellavit. Hæc itaq; luſtranda adhuc reſtant remedia, tria quidem diætetica; *Alica, cremor ptiſanæ, & panis*; Totidemq; therapeutica ſ. pharmaceutica: *Malum Punicum, vinum dilutum, ac balneum*. De ſingulis ſeorſim.

I. DE ALICA.

I. *Subſtantia.* I. ALica ſeu halica, ἄλιξ (a) nō eſt frumentalis materia, ſed materiatum, cibus nempe *ex Zea* δικόκκῳ (Dinckel-Kerne) præparata compoſitus. Triplex eſt: 1. *Cocta* in aqua & percolata, oleo primum, deinde ſale adjectis. Hanc Galenus 5. die citra condituram, h. e. ſine ſale & oleo exhibuiſſe videtur. 2. *Elota*, quæ eſt ſuccus aquæ plurimæ, vel etiam mulſæ (b) mixtus, cum plurima coctione, & conditura uti dictum, (c) quam ſine hac, tertio die hecticus noſter exſorbebat. 3. *In pulticulam* veluti liquidam redacta. (d)

II. *Vires.* II. Eſt cibus hecticis conveniens, uti Galenus in hiſtoria, & alibi (e) deprædicat. Cocta tamen juxta Galenum in hiſt. ſorbili præſtat. Eſt πολύχυλος ϗ εὔχυλος. Ex *Plinii* (f) mente: *Laudes omnes ptiſanæ, quas Hippocrates uno volumine condidit, in Alicam tranſeunt.*

III. *Vſus.* III, Modò *cum*, modò *ſine conditurâ*, nonnunquam *admixtis roborantibus*,